

ex Scriptura legisse. Quod si aliquis ita fuerit occupatus, inquit AUGUSTINUS, ut ante refectioem Scriptura divina non possit insistere, non eum pigeat in convivio suo aliquid de divinis Scripturis relegere, ut quomodo caro pascitur cibo, sic reficiatur anima DEI verbo, ut totus homo, i. e. exterior & interior de sancto & salubri convivio satiatus exsurgat, nam si solum caro reficitur, & anima DEI verbo non pascitur, ancilla satiatur & domina fame torquetur. — plus semper de cibo cordis quam de cibo corporis cogitemus. Serm. 56. de tempore In Nepotiano suo HIERONYMUS laudat, quod sermo ejus fuerit per omne convivium de Scripturis aliquid proponere. Item Cap. 1. Ep. ad Marc. p. 53. Tom. 1. de Origene narrat, quod nunquam inierit somnum nisi unus ex fratribus sacris literis personarit, hoc diebus eum egisse & noctibus, ut & lectio orationem & oratio lectionem exciperet. Itaque & post cibum captum Scripturam legebant. Oportet cibo lectionem divinarum Scripturarum succedere. Inquit CHRYSOSTOMUS hom. 1. de Lazaro. Ethnici profanis canticis celebrabant convivia sua, vid. KIPPING. *Antiq.* L. IV. c. III. p. 480. Christiani vero inter Agapas suas, (cum TERTULL. loquor *Apolog.* c. 39. p. m. 225.) ut quisque de Scripturis S. vel de proprio ingenio potest DEO canebant, aut hymnis Davidicis animos exhilarabant. Add. FLEURY *mœurs des Chrétiens* p. 33.

§. II.

Præterea omnem curam eo intendebant, ut *juventus* à tenerrima ætate Scripturæ cognitione imbueretur. In scholis indefessa industria cœlestem Scripturæ doctrinam juventuti tradebant, quod vel sola illa satis celebris *Alexandrina* schola, in qua *Pantæus Clem. Alex. Præceptor* docuit, testatur, apud EUSEB. H. E. L. V. c. 10. & 11. unde illæ merito *Schola Scripturæ S.* audiebant; hoc enim nomine insignit EUSEBIUS Scholam Pantæni, *διδασκαλεῖον τῶν ἱερῶν λόγων*. L. V. c. 10. simul tamen in humanioribus etiam exercebantur, utque in argumentis non gentilibus sed Christianis id præstandi occasionem haberent, *Apolinarius Syrus* in exarandis ejusmodi libris operam locavit, teste SOZOMENO H. E. L. V. c. 18. Quanta cura *Leonides Origeni* puero Sacras Scripturas instillarit, quam-

*Ed. 210
liberorum
ad Scriptu-
rarum co-
gnitionem,*